

## *Cercare la pace in un mondo di guerra*

### **SEZIONE SENIOR - 3**

#### **Tac. Germ. 35 -36**

Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Chattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et implent, populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit iustitia tueri. Sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Id praecipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per iniurias adsequuntur; prompta tamen omnibus arma ac, si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus eadem fama. In latere Chaucorum Chattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlaccessiti nutrierunt: idque iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt.

#### **Verg. Aen. 4, 607 - 625**

Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,  
Tuque harum interpret curarum et conscia Iuno,  
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes  
Et Dirae ultrices et di morientis Elissae,  
Accipite haec, meritumque malis advertite numen  
Et nostras audite preces. si tangere portus  
Infandum caput ac terris adnare necessest,  
Et sic fata Iovis poscunt, hic terminus haeret:  
At bello audacis populi vexatus et armis,  
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli  
Auxilium impleret videatque indigna suorum  
Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae  
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur,  
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus harena.  
Haec precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.  
Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum  
Exercete odiis, cinerique haec mittite nostro  
Munera. nullus amor populis nec foedera sunt.